



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Varia Diplomata Romanorum Pontificum. Ioannis XIII.  
Benedicti VI. Symmachi. Leonis VII. Agapiti seu Agapeti II.  
Eugeni[i] II. Benedicti VII. Ad Qvosdam Norici Et Vtriusque  
Pannoniæ Archiepiscopos & ...**

**Gewold, Christoph**

**Monachii, 1611**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64266)

duor glosa. Nebula pinguedo aeris est.  
e ligat pinguedine fidei. que mane  
idest tempore baptismi caput. **Stella**  
terre sunt virtutes. vel sc̄a in calmi  
ne virtutū altitudo. **Deus** vero virtu  
tes omnium transcendit. & in cordibus  
suoꝝ graditur. **Super** hoc habes con  
cordantiā in sc̄o libro regum. ubi di  
cit dñs ad dauid. **Quā** audierim sonitū  
gradientis in cacumine montuꝝ. tū in  
bis prelium. & tūc egredietur dñs =  
ante faciem tuā. ut ponat cast. p̄ h̄y  
lithnoz. **Vir**is dicitur a greco pyr. qd  
est ignis. **Sti** arboris ponū videt qd  
signū sp̄cae sit formatū. nam ab am =

erno evangelio. Loquente uir  
& cetā. **Nota** qd in hoc evang  
tantur. scilicet muliers a fan  
tio. & sive archisynagogi resi  
**Primū** ibi. ecce mulier. & cet  
cū uenisset ih̄c in domū pri  
mitot. **Primus** uocat miffela  
beati pauli ad colosenses. non  
quā uolumus in duabz part  
ider. & cū duabus evangli  
cordant. **Prima** est non cess  
gratas agentes deo patri. **A**  
hodierno evangelio agit de  
muliers emortuisse. & refusa  
elle. **Paubz** in hodierna ep  
impleamur agur

Th  
4884

Will. 14.

25

Th. 4884.





V A R I A  
DIPLOMATA  
ROMANORVM  
PONTIFICVM.

IOANNIS XIII.  
BENEDICTI VI.  
SYMMACHI.  
LEONIS VII.  
AGAPITI seu AGAPETI II.  
EVGENI II.  
BENEDICTI VII.

*Lib. Coll. bot. IX. Paderborn. a. 1612*  
AD QVOSDAM NORICI ET  
VTRIVSQUE PANNONIAE ARCHIEPISCOPOS  
& Episcopos, unà cum literis Hattonis Archiepiscopi Moguntini;  
Pilgrimi Prasulis Lauriacensis: & Theodemari Archiepisco-  
pi Iuuaniensis & Suffraganeorum ad Benedictum  
& Ioannem Pontifices Maximos,

\* \*  
\*

NUNC PRIMVM  
EX M. S. CODICE MONASTERII REI-  
CHERSPERG. DE PROMPTA.

MONACHII.

---

M. DCXI.



# DIPLOMA IOANNIS

P A P Æ,



IOANNES SANCTE ROMANE & Apostolicæ Ecclesiæ Præsul. Omnibus Archiepiscopis & Episcopis nostris dilectis in Christo fratribus apud sanctum Synodum Rauennæ nobiscum aggregatis, æternæ beatitudinis gaudia.

Estiſte pontifex Ioan. XIII. vide Baron. anno 967. quo Sinodus Rauennæ habita.

Sanctitati ac dilectioni notum vestre esse volumus, quod Heroldus \* dudum Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus contra canonicam & Apostolicam auctoritatem nefaria præsumptione post suorum oculorum amissionem videatur sacrum celebrare mysterium, & quod ridiculum est, pallium gestare solemniter, hoc namque non ad modicam hereseos vesaniam attinet, & nobis omniumque fratrum Orthodoxorum prudentiæ debet videri execrabile, præsertim cum ipse pro sua culpa & perfidiæ temeritate exoculatus sit, eo quod Ecclesiæ DEI exspoliauerit, thesaurum paganis erogauerit, seseque eis iunxerit, in Christianorum necem & deprædationem, contra Dominum & pijsimum Imperatorem suum seniore[m] rebellis & infidelis extiterit, & proinde à decessoribus nostris sanctæ memoriæ Pontificibus omne sacerdotale officium sæpe ei sit interdictum, atque electione & postulatione omnium pene nobilium Bouuoriorum scilicet Clericorum & laicorum, sancta Romana mater Ecclesia seu authoritatis priuilegio. FRIDERICVM virum venerabilem & cunctis laudabilem loco eiusdem Heroldi fieri, esseque Archiepiscopum omnimodo decreuerit. Quapropter itaque nostrorum decessorum auctoritatem

Hund. in Metropoli Herolfus. com. vide.

vide Hundium.

A 2

sequen-



D I P L O M A

2  
 sequentes vestraeque omnium fraternitatis assensione  
 roborati ipsius Heroldi hæreticam & temerariam prauitatem  
 ammodo ac deinceps damnamus ac penitus cõfutamus  
 ex vice beati P E T R I Principis Apostolorum, nec non omnes  
 sequentes cæcitatem corporis & mentis eius in tali præsumptione:  
 eique communicantes excommunicamus primo & anathematizamus  
 vsq; ad plenissimam emendationem. Insuper iam dicto F R I D E R I C O  
 per authoritatem sedis Apostolicæ dignissimo Archiepiscopo  
 honorem & dignitatem Salzburgensis Archiepiscopatus confirmamus  
 & corroboramus & vniuersos humilitati eius allubescentes,  
 benedicimus & Catholicos approbamus. Vnde rogantes hortamur  
 sanctitatem vestrae fraternitatis & in hoc nobiscum pariter  
 assentiatis, & huic nostræ Apostolicæ sanctioni vestram  
 confirmationem præbeatis.

I O A N N E S sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ  
 Ecclesiæ huic sanctioni editæ à me in Synodo apud Ra-  
 uennam subscripsi. Signum Domini O T T O N I S T e r e n i s s i m i  
 Imperatoris: R O D A L D V S Patriarcha Aquilegensis Ecclesiæ  
 interfui & subscripsi.

*Petrus S. Rau: Ecclesiæ. Et Walpertus S. Mediolan. Ecclesiæ  
 Archiepiscopus Lanuardus S. Mindensis Ecclesiæ Episcopus. Otkerus  
 sanctæ Spirens. Ecclesiæ Episcopus. Vuindo sanctæ Siluæ candidæ  
 Ecclesiæ Episcopus & Bibliothecarius Apostolicæ sedis. Martinus  
 sanctæ Sutriensis Ecclesiæ Episcopus. Benedictus sanctæ Portuensis  
 Ecclesiæ Episcopus. Euerardus Episcopus Aretinensis. Sichelmuus  
 Episcopus Florentina. Petrus Episcopus sanctæ Volternensis Ecclesiæ.  
 Ioannes sanctæ Ariminensis Ecclesiæ Episcopus. Hubertus sanctæ  
 Lunensis Ecclesiæ Episcopus. Honestus Episcopus sanctæ Perusinae  
 Ecclesiæ. Petrus sanctæ Camerinae Ecclesiæ. Ingizo Episcopus  
 sanctæ Assinatae Ecclesiæ. Leo Episcopus sanctæ Assinatae Ecclesiæ.  
 Episcopus*

*copus S. Calliensis Ecclesie. Erfemarius Anconitanae Ecclesie. Episcopus*  
*Astingus Episcop. Auximianens. Eccles. Benedictus Humanatae Eccl-*  
*Episcop. Eberardus Esinatae Eccles. Episc. Benedictus Fulginae Eccles-*  
*Episc. Iulianus Lucernia Eccles. Episcop. Gregorius Comaclens. Eccl-*  
*sia Episcop. Ruodo sanctae Cesinatae Eccles. Episcop. Arnaldus Popi-*  
*liens. Episc. Radaldus Rosiliens. Episcop. Martinus Mantuanens-*  
*Episcop. Stephanus Ficoclens. Episcop. Ioann. Bellunens Episcop. Alber-*  
*ricus Perusunens. Episcop. Rodulphus Vincentin. Episcop. Gerhardus*  
*Faentinae Ecclesie Episcop. Petrus Metaumaucens. Episcop. Huber-*  
*tus Parmens Episcop. Luizo Cremonens. Episcop. Ermenald. Reigio-*  
*nens. Episcop. Gorbald. Polonens Episcop. Gausilinus Patauen. Episc.*  
*Arnald. Tridentinae Episcop. Teutpertus Felirensis Episcopus. Ze-*  
*nobius Fesulanae Episcop. Gothofredus Aquens. Episcop. Roilo Astens.*  
*Episcop. Luido Glosinensis Episcop. Adalbertus Bonens. Episcopus.*  
*Kindo Modinens. Episcop. Iohannes Vnolensis Episcop. Ratherius Ve-*  
*ronens. Episc. Antonius Brisuens. Episc. Vdalricus Bergamens. Episc.*  
*Ioannes Iardonens. Episc. Aupaldus. Nouanens. Episc. Lupus Spolen-*  
*tinae Ecclesie Sigihardus Cetens. Episc. Rikhard. Fanensis Ecclesie*  
*Episcopus subscripsit. Actum Rau. vii. Kalend. Maij, per ma-*  
*num Stephani Scriniarij sanctae Romanae Ecclesiae. In*  
*mensis Aprili & indictione decima in praesentia omnium*  
*sanctorum Episcoporum.*

B E N E D I C T V S diuinam fauente gratia atque totius  
 populi Romani electione Apostolicus. FRIDERICO  
 Salzburgensis Ecclesiae Archipraesuli, vna cum suis fra-  
 tribus, videlicet Noricae prouinciae Episcopis mansu-  
 ram in. CHRISTO felicitatem. Protoplasto gene-  
 ris humani atque eius semine serpentina suasionem in-  
 gemina cadente morte multas DEVS misericordia  
 ductus medicinas misit in. hunc mundum, Patriarchas  
 scilicet iustos, Prophetas veridicos, legiferum cum lege.

Et Benedi-  
 ctus Viuide  
 Bar. 97.

Et his omnibus mundum saluare non valentibus nouissimè filium suum humanâ carne indutum, ad redemptionem generis humani ad terras transmitters dignatus est. Eo itaque inter homines conuersante duodecim elegit Apostolos, quos ad seminandum verbum DEI in corda fidelium per vniuersum transmisit orbem, quorum atque totius Ecclesiæ sanctum constituit PETRUM Principem, cuique gregem commisit Ecclesiasticum tertio ei dicens: *Pasce oues meas.* Cui etiam ligandi atque soluendi tradidit potestatem dicens: *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Et non solum sancto talis concessa est PETRO potentia, sed etiam suis successoribus, eius vicem in Ecclesia tenentibus, eadem ligandi atque soluendi à Deo tradita est potestas. Sancti itaque PETRI Apostoli successores per loca, prout opus erat atque decuit, constituerunt Archiepiscopos, qui eorum vicem tenerent in Ecclesiis, quia ipsi vniuersas regere non poterant Ecclesias, Hos quoque vicem beati PETRI Apostoli prout hominibus istius temporis possibile est in Ecclesia tenentes statuta illorum, Antecessorum nostrorum confirmare quantum possumus libenter desideramus.

Concedimus itaque vicem Apostolicam FRIDERICO Salzburgensis Ecclesiæ antistiti, eiusque successoribus in tota Norica prouincia & in tota Pannonia superiori videlicet & inferiori quomodo sui antecessores eadem potestatem à nostris habuere antecessoribus, ita scilicet vt nulli liceat in præfatis prouincijs sibi vsurpare pallium, nec Episcopos ordinare, nec vllum officium quod ad Archiepiscopum pertinere debet, præter præfatum Archiepiscopum eiusque successores. Quicumque autem huic refragari vel contendere voluerit decreto, quam nos vice beati PETRI Apostoli fungentes consensu nostrorum

Episco-

BENEDICTI. VI.

Episcoporum ac totius Cleri Romanæ Ecclesiæ decreuimus, sciat se beato PETRO eiusque vicario esse contrarium atque fore anathema vsque ad satisfactionem, siue sit Episcopus aut Presbyter siue Clericus cuiuscunque ordinis, siue laicus, cuiuscunque fuerit dignitatis, quia sancta sanctorum antecessorum nostrorum soluere nolumus neque valemus. Sed quomodo illi consensu suorum Episcoporum ac totius Cleri constituerunt, fiat ex eorum, pariter & nostro decreto firmum atque perpetuum. Quicumque autem Episcopi per amicos siue clam per aliquam fraudem aliquando eiusdem dignitatis petierint, siue petierunt priuilegium, illos suspendimus ab ea dignitate, quia illicitum iudicamus, vt aliquis Episcopus sine totius suæ prouinciæ atq; suffraganeorum suorum cōsensu palium, siue aliquod Archiepiscopatus priuilegium à Romano Pontifice acquirere præsumat.

SYMACHVS sanctæ Apostolicæ sedis gratia. DEI Episcopus, reuerendissimo & sanctissimo fratri THEODORO sancte Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Diebus vitæ tuæ pallij vsu, quem ad sacerdotalis officij decorem & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum beato PETRO Apostolo vniuersus grex dominicarū ouium quæ ei commissæ sunt habere dubium non est: ab Apostolica sede sicut decuit, poposcisti, quod utpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ maiorum more libenter indulsimus ad ostendendum te Magistrum & Archiepiscopum, tuamque sanctam Lauriacensem Ecclesiam prouinciæ Pannoniorum sedem fore Metropolitanam. Idcirco pallio quod ex Apostolica Caritate tibi destinamus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiæ tuæ sollerter ammonemus, pariterque volumus, vt intelligas quia ipse vetitus, quo ad Missarum solemniam ornaris, signum præten-

De hoc Theodoro vide Hund. Metrop. in catalogo episcopi Laureacensis & Pataviensis vbi hoc diploma recitatur.

dit

dit Crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in affectu crucifigi. Undecimo cum te foris huiusmodi insignio indueris, intus in animo considera, quod hoc sit magis oneris quam honoris, atq; cor tuum DEO tegente ab appetitu istius seculi sic tempera, ut & commissam exequi gubernationem studeas, & adeptæ dignitati, cuius sublimaris officio & probitate morum & viuacitate sollicitudinis ac custodia integerrimæ fidei congruas, quatenus tu ipse à remuneratore omnium bonorum DEO, & benedictionis gratiam, vitamque æternam consequi merearis. Amen.

Est hic Leo  
VII. de quo  
Bar anno  
1136 vide  
Hund.

LEO Episcopus seruus seruorum DEI reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro GERHARDO sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo omnibus diebus vitæ tantum tuæ exhinc ammodo. Si pastores ouium solem geluque pro gregis sua custodia die ac nocte ferre, contenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur oculis semper vigilantibus circumspectant: Quanto sudore, quantaque cura debeamus esse peruigiles nos qui pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ouium non cessemus, ne in die diuini examinis pro nostra desidia ante summum Pastorem, negligentia reatus excruciet. Vnde modo honoris reuerentia sublimioris inter cæteros iudicamus. Pallium autem fraternitati tuæ ad Missarū solemnia celebranda concedimus, quo tibi non aliter Ecclesiæ tuæ priuilegijs in suo statu manentibus uti largimur, non solum in die consecrationis chrisimatis, ac sanctæ & venerandæ resurrectionis Domini nostri IESU Christi, seu in natal. sanctorum Apostolorum, atque beati Ioannis Baptistæ, nec non in festiuitatibus sanctæ DEI genitricis MARIÆ, simulque  
in.

in Domini nostri Natiuitatis die: pariterque in solemnitate Ecclesiæ tuæ die, & natalitio tuo die, verum etiam in cōsecratione Episcoporum & Presbyterorum, & quando à te Synodus celebratur, si fortè conuenticulum illic fuerit \* Neofitorum, qui ad fidem tua exhortatione sunt <sup>\* neophy-</sup> perducendi, nec non in festiuitate S. Stephani Protho-  
 martyris, sanctique Laurentij & illorum sanctorum, qui corporaliter in tua requiescunt parochia, vti concedimus die, sicut à prædecessore nostro Domino GREGORIO huius almæ sedis Præsule sancitum est. In secretario vero tua fraternitas pallium induere debet, & ita ad Missarū solemnia proficisci, & nihil tibi ausu, temeritate præsumptionis arrogare. Ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate, etiam quæ licere poterant, amittantur, cuius quoniam indumenti honor modesta actuum viuacitate seruandus est, hortamur, vt & morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus auctore DEO rectè utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filijs tuis sit regula, in ipsa si qua tortitudo illis ingesta est dirigant in ea quod imitentur aspiciant. In ipsa se semper considerando proficiant, vt tuum post DEVM videatur esse beneficium quod vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiiciant, sed quidquid illud fuerit virtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus inueniant. Benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant, in fontem apud te, culpabilem, suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod vltus non fueris perpetrari permittas. Sit in te & boni pastoris dulcedo sit & iudicis seuera districtio, vnum scilicet quod innocenter viuentes foueat, aliud quod inquietos feriendo à prauitate compescat, sed quod nonnunquam pro-

B

posi-

positorum scelus dum districtus malorum vult vindex  
 exstiter: transit in crudelitatem correctio, iram iudicio  
 refrena, & censura disciplina sic vtere, vt & culpas fe-  
 rias & à dilectione personarum, quas corrigas non rece-  
 das. Misericordem te prout virtus patitur, pauperibus  
 exhibe. Oppressis defensio tua subueniat, opprimen-  
 tibus modesta correctio contradicat. Nullius faciem  
 contra iustitiam accipias nullum querentem iustitiam  
 despicias, custodia in te æquitatis excellat, vt nec diuitem  
 potentia sua aliquid extra viam, apud vos suadeat ra-  
 tionis audere. Nec pauperes de se sua faciat humilitas  
 desperare: quatenus DEO miserante talis possis exi-  
 stere, qualem sacra lectio præcipit dicens: oportet Epis-  
 copum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter  
 vti poteris, si Magistram caritatem habueris, quam qui  
 secutus fuerit, à recto aliquando tramite non recedit.  
 Ecce frater charissime, inter multa alia ista sunt sacer-  
 dotij, ista pallij, quæ si studiose seruaueris, quod foris  
 accepisti, intus habes, fidem autem quam in tuis episto-  
 lis breuiter assignasti, licet latius explanare debueras,  
 Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam  
 in ipsa breuitate ratam esse cognouimus. Sancta Tri-  
 nitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione cir-  
 cumdet, atque in timoris sui via nos dirigat, vt post huius  
 amaritudines ad æternam simul peruenire dulcedinem  
 mereamur. Amen.

Est Leo VII.  
 vide Hund.  
 Hic Egilol-  
 fus Deci-  
 mus fuit ab  
 Arnone, qui  
 fuit primus  
 Archiepisco-  
 pus Iuanen-  
 sis vel Le-  
 burg

LEO Episcopus seruus seruorum, DEI Regibus,  
 Ducibus, Episcopis Abbatibus, Comitibus, pari etiam  
 modo EGILOLPHO Iuanensis, ISINGRIMO Ra-  
 nisponensis, LANTBERTO Frisingensis, WISVN-  
 DO

No Sebonensis Ecclesiæ venerabilibus Episcopis & ce-  
 teris per Galliam, Germaniam, Bauuariam, Aleman-  
 niam commorantibus. Si instituta Ecclesiastica vt sunt  
 à beatis Apostolis tradita integra vellent seruare Domi-  
 ni sacerdotes, nulla diuersitas in ipsis ordinibus & con-  
 secrationibus haberetur, sed dum vnusquisque non  
 quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc exi-  
 stimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis vel  
 Ecclesijs aut teneri aut celebrari videntur. Hac de  
 re fit scandalum populis, dum multa in vestra prouin-  
 cia contra canones Ecclesiasticos decretaque maiorum  
 vsurpare videntur, quæ quidem possent facile rescari,  
 si Episcopi in his non viderentur auctores, qui seculari-  
 bus intenti humanum fauorem captantes, religionem  
 violant, ordinesque corrumpunt. Nos siquidem diui-  
 nis præceptis & Apostolicis incitatur monitis, vt pro  
 omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.  
 Idcirco fraternitati vestræ cognitum facimus, quod  
 GERARDVS sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepis-  
 copus causa orationis ad limina veniens Apostolorum,  
 nostram Apostolicam præsentiam visitare & benedi-  
 ctionis gratiam à nobis percipere sollicitè studuit, multa  
 quæ reprehensione digna sunt nostris auribus lacrymo-  
 sis vocibus intimauit, tota cordis intentione à nostra  
 Apostolica authoritate de his quæ contra canonum re-  
 gulam & decreta maiorum in vestris geruntur prouin-  
 cijs quærens consilium. Scitis enim quod ab ipso  
 Domino Beato PETRO Principi Apostolorum eius-  
 que Vicarijs omnium Ecclesiarum cura commissa est,  
 veritatis voce dicente. *Tu es Petrus & super hanc pe-  
 tram adificabo Ecclesiam meam, cui etiam proprias  
 oues commendauit, dicens: Si diligis me, pasce oues meas*



D I P L O M A

Et idcirco pro vniuersis Ecclesiis sollicitudinem gerimus & veluti in specula positi, quod per totius orbis prouincias geratur, vigilanti cura insistimus. De quibus ergo Apostolicam sedem consuluit, & qualia nos ei responsa dedimus, per hos nostros apices vobis intimare curamus. Eius namque interrogatio seriatim talis erat.

De Auguratoribus & incantatricibus & maleficis vario modo mortificatis à populo. Si aliqua pœnitentia debeat exigi. De talibus namque personis, quid veteris ac noui Testamenti pagina censeat, manifestum est. In lege namque Mosayca scriptum est, maleficos non patiaris viuere: similiter in Samuelis libro legitur, quia exterminauit Saul omnes Pythonissas de terra, & alia quæ enumerare longum est. Sed nos etiam tales nostris exhortationibus ad pœnitentiam trahere debemus, vt magis Ecclesiastico iudicio pœnitendo viuant, quam gladio vindice puniantur, Dicente Beato Paulo Apostolo. *Non enim posuit nos DEVS ad iram, sed in acquisitione salutis.* Quod si Ecclesiastica iudicia spreuerint, humanis subiaceant legibus: meminisse enim debent, à DEO potestates fuisse concessas, & ad vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & DEI ministrum fuisse datum in huiusmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur autoritas, dicente beato Innocentio: erit dictator immunis.

Consultum est etiam vtrum Episcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiscum* pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem vestram prouinciam tenendum est, quam in sancta Romana Ecclesia. In Dominicis enim diebus & in præcipuis festiuitatibus, atque sanctorum Natalitijs. *Gloria in excelsis DEO.* Et *Pax vobis* pronuntiamus. In diebus vero Quadragesimæ, & in ieiuniorum temporibus, siue in vigilijs sanctorum & in reliquis iuniorum diebus. *Dominus vobiscum* tantummodo dicimus.

Post

Post hæc consuluit. Si Dominica oratio in benedictione ciborum debeat vsitari. Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis & sanguinis Domini nostri IESU Christi, hanc solummodo orationem sancti Apostoli decantabant, & in Euangelio legitur, quia post Cœnam à Domino factam Hymno dicto exierunt in montem Oliuarum.

consuetudo  
tamen iam  
aliud habet.

Post hæc interrogauit de eo, qui matrem & filiam spirituales in coniugio ducit, quod ne fiat, sacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariæ ita habetur, vt presbytera, diacona, monacha, vel etiam spirituali conmatre aut spirituali filia nullus vtatur. Nam qui huiusmodi opus perpetravit, sciat se anathematis vinculo innodatum & DEI iudicio condemnatum, atque à sacro corpore & sanguine Domini nostri IESU Christi alienum, & quicumque sacerdotum eis communicare præsumperit, eorum iudicio condemnatus sacerdotij sui honore priuetur. Dehinc intulit lamentabile & nimis lugendum, vt Domini sacerdotes publicè ducant vxores, & si filij eorū valeant promoueri. Quod scelus, quia omnis sacra scriptura contradicit, quia sanctum & venerandum Nicenū Concilium vetat, ne sacerdotes cum fœminis habitare præsumant, multo magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, iuxta sacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocæsariensi namque Concilio ita habetur. Presbyter si vxorem acceperit, ab ordine deponatur, & qui in tali scelere fuerint, reperti nostra Apostolica auctoritate ab omni priuentur honore. Filij verò eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente Propheta, filius non portabit iniquitatem patris, & in sacro Baptismate omnia dimittuntur peccata. De hinc perquisiuit si à Chorepiscopo Ecclesiæ debeant consecrari, aut presbyteri ordinari vel cõsignatio chrisimatis & manus impositio fieri,

Qui sint  
Chorepisco-  
pi vide apud  
Bell. rom. lib.  
de Clericis  
cap. 17.

B 3

quæ

vide Belarm  
loc. cit.

quæ omnia à Chorepiscopis ne fiant, interdiciamus iuxta Canonum decreta. In Concilio Antiocheno capit. decimo sic habetur. Qui in vicis & possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, tamen sanctę Synodo placuit, vt modum propriũ recognoscant & gubernēt subiectas sibi Ecclesias, ordinent etiã lectores & subdiaconos atq; exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant, nec presbyterum nec Diaconum audeant ordinare. Si quis autē transgredi statuta tētauerit, deposit⁹ quo vtebatur honore priuetur.

Perquisiuit etiã, si vir & mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis coniucti & inscij coniugio copulantur, postea DE I respectu compuncti, ostendunt se sacerdoti secretè confitentes peccata sua, vtrum valeant eleemosynarum largitione, ac bonorũ operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in veteri & nouo Testamento multa reperiuntur exempla, maximè in Concilijs Gregorij & Zacharię, in quibus hæc continentur, vt consobrinã, Nouercam, Neptem, fratris vxorem Nurum, vel etiam de propria cognatione aut quã cognatus habuit, nullus coniugio præsumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario coniugio conuenerit & in eo permanserit, sciat se auctoritate Apostolica anathematis vinculo innodatum, & nullus sacerdos ei tribuat communionem, & si inclinatus diuisusque fuerit ab illicita copula, pœnitentię submitatur, vt sacerdos loci considerauerit.

De vastatoribus autē Ecclesiarum vnde inquisiuit, nihil aliud scribimus, nisi q̄ PAVLVS Apostolus ad Timoth. scribens ait: Argue, increpa, obsecra cum omni Imperio.

His verò omnibus prælibatis fraternitatem vestram monemus, per hanc nostram Apostolicam iussionem, vt huic GERARDO Archiepiscopo, cui vicem nostrã in cunctis finibus vestris cõmisimus in omnibus, quæ ad Ecclesiasticis

flasticum ordinē pertinent obediētes & adiutores sitis, quatenus in vna cōcordia persistētes, vt Ecclesiastica iura & Christianitatis religio in vestris partibus, quę paganorū incursione, & malorum Christianorū persecutione corrupta & deprauata esse videntur, Domino largiente, & beato PETRO Apostolorum Principe cooperante ad re-ctitudinis normam valeant reformari, & vos in futuro examine securi possitis audire vocem Domini dicentis. *Euge serue bone & fidelis quia super pauca f.f. super multa T. C. intra in gaudium Domini T.*

Præter hæc EBERARDO Duci Bauuariorum nostra auctoritate iniungimus, vt præfato GERARDO Archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, vt suæ Ecclesiæ status & re-ctitudo ac proprius vigor ad integrum culmen & pri-scum decorem suo iuuamine valeat peruenire, si DEI indulgentia & sancti PETRI etiam, suorum delictorum à nobis vult accipere remissionem.

## DIPLOMA AGAPITI PP.

**A** GAPITVS Episcopus seruus seruorum DEI, fratri dilectissimo & reuerendissimo GERARDO sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in Christo salutem. Petitiones tuas pro renouandis siue approbandis Ecclesiæ tuæ priuilegiis, venerabilis Fuldensis monasterij Abbas HADEMARS huc causa orationis veniens cum magna beneuolentia nostræ experientia suggestit, pariterque iurgia & disceptationes grauissimas inter te & Heroldum Archiepiscopum pro vtrinque susceptâ in vna prouincia pallij auctoritate exortas, flebiliter nunciavit, quod & ipsi ex debita pastoralis cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta & vniuersalis Ecclesia, cui authore DEO præsidemus à religiosis atque pacatis sacerdotibus suis, & in

vide Hund.  
de hoc dī  
plomate. de  
Agapito  
Bar. anno  
946.

& in caritate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innixa fulcitur; discordantibus autem & aduersum se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, præsertim tantis Pontificibus velut euulsis sustentaculis casura, non sine magno periculo & vigoris sui detrimento à proprio statu cõcutitur. Insuper etiam dum de foris inter vos pro pallij honore pertinaciter huiusmodi contentio exercetur, agitur vt in fraternâ emulatione decor sacerdotij intus euacuetur.

Inde ergo frater officium nostrum illud esse perpendiculares, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente dissidium sanctæ DEI Ecclesiæ atque scandalum sine consilij & vtilitatis vestræ respectu diutius nutriatur, ad sequstrandum litem vestram accedimus nos arbitres tam ex sollicitudine à Domino regiminis iniuncti, quam amorum vestrorum amore ad hoc permoti, ita videlicet vt & de prælibata conflictus vestri querimonia rationabilibus iudicijs rite iustitiæ satisfaciamus, & vos omni explosa controuersia in fraternam concordiam, Christo moderante reuocemus.

Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus Ecclesiarum locis dignitas pallij ab hac Apostolica sede debeat. Lauriacensem autem urbem antiquitus Metropolitanam fore, & Archiepiscopij sedem cui sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in priuilegijs authenticis ad nos vsque à te directis legimus, ita quoque inuentis quibusdam exemplaribus chartæ est: & vetustate admodum attritis in Archiuo S. Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ & immanissima Christianorū persecutione à Doctoribus istius sedis Catholicæ fidei nouimus rudimenta percepisse, & exinde à succedentibus prædicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniæ prouincias eiusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam

etiam

etiam duabus prouincijs illarumque Pontificibus vsque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctæ Lauriacensis præfuit Archiepiscopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem Ciuitatem, verum etiam in circuitu adiacentes regiones depopulauit, atque funditus desolauit. Inde quidem contigit, vt Episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque aliò translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus vacante ab Apostolico Vicario Bauuariorum regno, ARNO primus sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ subrogatur Archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacri scrinij historia. Modo autem mortalibus propitiantē Christo ab hostibus sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ quiete, & in habitandi securitate concessa, non alibi, quam ibidem fraternitatis tuæ cathedra oportet haberi. Quapropter reintronizamus te eidem Ecclesiæ sanctorum Patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ memoriæ Domini LEONIS Papæ, à quo Excellentia tua pallio ac priuilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes, ac sæpedictam sanctam Lauriacensem Ecclesiam potestate & vice beati PETRI Apostolorū Principis absoluiamus & Archiepiscopamus & in culmen Metropolitanum sublimamus, & priuilegia nobis transmissa manu propria munimus & corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi pallium cum præsentī præcepto secundū vsum prius concessum, successoribusq; tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad iustitiam reintegratis, decreuimus rixas vestras, & dissensiones præfata ex causa deriuatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sic vt vtrique vestrorum modo susceptus seruetur pallij honor illæsus, hortantes quatenus Apostolicè instituti, amodo non in conten-

C

tione

tione & æmulatione maneatis. Constat quidem quod ca-  
 nonicè singulis prouincijs singuli ordinantur metropoli-  
 tani, proinde distribuere, atq; determinare ita vobis par-  
 ochias, bonum & pacificum æstimamus vt diuisis dua-  
 bus Noricæ regionis prouincijs, Heroldo Archiepiscopo  
 Occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia; tibi  
 autem successoribusq; tuis, propter emeritam anti-  
 quitatem sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ, cui iure iuniorum  
 reuerentia assurgit in benedictionis & sedis ordine Præ-  
 latis atque Præpositis prouidentiam Orientalis Panno-  
 niæ, regionemque Auarorum atque Maraharorum sed  
 & Schlauorū, qui modo Christiani, vel adhuc per baptis-  
 ma Christo lucrandi sunt, circumquaq; manentium cre-  
 dimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus  
 prædicandi, & pro arbitrio vestro vbi opus est Episcopos  
 constituendi, omniaque disponere atq; ordinare tali au-  
 thoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentem  
 affuissemus. Quod si iam dictus Heroldus Archiepisco-  
 pus deinceps suorumuè quispiam successorum minime  
 diffinito limite contentus, sed interdicitam atque à sua  
 potestate separatam Diœcesin repetere peruicaciter co-  
 natur, nec à prohibita contentionis schismate per istas  
 nostras Apostolicas traditiones atque determinationes  
 compescitur: Ipse etiam piè concessa dignitatis munifi-  
 centia penitus priuetur, atque secundum ius pristinū,  
 superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuo-  
 rumque successorum ambæ perpetualiter subiaceant di-  
 tioni. Allubescentes autem assensumque præbentes  
 istis nostris saluberrimis decretis, benedicimus & Catho-  
 licos approbamus, resistentes verò atque infirmare, vel  
 omninò peruertere contendentes anathemate marana-  
 tha sanctæ Trinitatis districtè percutimus, & Apostolica  
 sententia, quam multati Anania & Saphira exspirauerunt.  
 damna-

damnamus, & cum blasphematoribus sancti spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

*DIPLOMA EVGENII. PP.*

**E**VGENIVS Episcopus servus servorum DEI RATH-  
FREDO sanctæ Fauianensis Ecclesiæ, & METHODIO Ec-  
clesiæ Speculi Iulienf: Quæ & Soriguturësis nuncupatur,  
atque ALEVVINO sanctæ Nitrauiens. Ecclesiæ, pariq;  
modo Annoni, S. Vetuarenfis Ecclesiæ Episcopis, simul  
etiam TVTIVNDO nec non Moymarò Ducibus & opti-  
matibus, exercitibusq; plebis Huniæ, quæ & Auaria dici-  
tur, & Maraniæ. Desiderio salutis animarum vestrarum fi-  
lij in Christo charissimi. Cum audiuimus Christianissimã  
conuersationem vestram & sanctæ fidei bonorumq; ope-  
rum vestrorum processum, summo gaudio atque lætitiã  
fuius exhilarati, quia diuina in vobis operante clemen-  
tia, vt Apostolus ait, vbi habundauit delictum, ibi super-  
habundat gratia, atque quomodo sancta DEI Ecclesia  
nostris temporibus quotidianum in electione vestra su-  
scipit incrementum. Cuius optabilis rumoris index fuit  
reuerendissimus YROLFVS sanctæ Lauriacensis Eccle-  
siæ Archiepiscopus & sanctissimus frater noster, vester  
autem spiritualis pater, qui per suam sanctam prædica-  
tionem adoptiuos DEO vos genuit filios. Is itaque ad  
Apostolorum limina orationis causa veniens, nouam Ec-  
clesiam nostris Apostolicis benedictionibus informandã  
subnixè commendauit, quia Domino auxiliante, Catho-  
licè gubernandam in vestris partibus suscepit. In quibus  
etiam quõdam Romanorum quoq; Gepidarumq; ætate  
vt lectio certum est, in septem Episcoporũ parochias  
antecessores sui iure Metropolitanò obtinuerant dioecc-  
sin. Qua ex iustitia & lege præfatus DEO dignissi-  
mus Archiepiscopus debito obligatur, vt illi terræ prius

Est Eugeni-  
us II qui pō-  
tificatus iussu  
anno 824.  
vide Baron.  
pars huius  
diplomatis,  
recitatur ab  
Hundio in  
Metrop. in  
Vrolpho seu  
Irolfo Ar-  
chiepisc.  
Lauriacensi



Christicolæ, atque suorum antiquitus antecessorū credita prouidentia, quam nunc vos DEI omnipotentis occulto mediante iudicio velut hæreditariam possidetis ipse Euangelicus agricola diu negata cœlestis spargat semina vitæ, atque in lucrandis Christo animabus rediuuiam de vobis nutriat segetem. Quem nos doctissimum diuini oraculi ministrum salutis vestræ cognoscentes per omnia necessarium fide & exemplo probatum meritò erga illum Apostolicam seruantes sententiam, qua dicitur. *Quomodo credent sine predicante, aut quomodo predicabunt nisi mittantur*, ab hac sancta Romanâ matre Ecclesia vobiscum Rectorem transmisiimus, atque in præfatis regionibus Hunniæ, quæ & Auaria appellatur, sed & Marauia prouinciarum quoq; Pannoniæ siue Mesia Apostolicam vicem nostram & diocesin, atq; ius Ecclesiasticum exercendi, & vsus ac potestatem antecessorum suorum, videlicet sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum sibi successoribusque suis canonicâ authoritate commitimus, atque huius constitutionis nostræ decretum subscriptionis priuilegio roboramus. Pallium præterea iuxta consuetudinem antiquam sanctitati suæ dedimus, quod ita sibi concessimus, sicut prædecessores nostri, suis prædecessoribus concessere, priuilegiorum suorum scilicet integritate seruata. Cuius dilectioni quamuis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus ad honorem suum nostram Apostolicam vicem & auctoritatē insuper accumulauimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus & vos Confratres & Coëpiscopi deinceps ei reuerentiâ amplio-rem exhibere sciatis, & in sana doctrinâ cœlestis eruditionis ad ædificationem vestram vt filij sapientes obediat, atque vos laici primates & vulgus saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed tanquam DEO humiliter obtem-

obtem-

obtemperetis, & in fide Catholica, quam per Dominum IESUM consecuti estis, fortes permaneat. Nam totius doli artifex Diabolus cuius dominio & populis in Baptismate abrenunciatis, iacturam & damnum vestræ salutaris surreptionis molestè patitur, ac per varias occasiones zizania perfidiæ seminando velut multâ iniuria bacchatur, & vt vestrum aliquis terga vertat sanctæ professioni incessanter molitur. Quapropter sæpè dicti Archiepiscopi videlicet pastoris vestri à Deo destinati institutionibus benignas aures præbete, qui vos & versutiam sathanæ cauere atque eius æternos cruciatus euadere instruit ac ipse in die iudicij de bonis operibus vestris seculorum Domino perpetua remunerandos gloria præsentabit. Ad perfectam autem & necessariam eruditionis vestræ salutem, vt comperimus nõ sufficiant pauci, qui modo constituti sunt vobis Episcopi, quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconum diuini verbi nondum peruenit notitia Christi. Idcirco enim, vt accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro mercede & remissione peccatorum vestrorum adminiculum atque Iuuamen præbere Reuerendissimo Y R O L F O Archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum numerus impleatur, qui congruè constituti, & vobis posterisque vestris poterunt esse proficui, si ad restorationem Ecclesiarum propter nomen Domini de possessionibus vestris, quos reditus dotisque earum famâ diulgante quondam fuisse noveritis æternâ sufficientiam vobis comparantes eisdem Ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc ministerium electis, maxime in illis locis, si oportunitas & vtilitas commendauerit, ordinentur antistites, vbi indicia Ecclesiarum & ædificiorum sedes Pontificales olim, fuisse demonstrant, sin autem illius arbitrio & deliberationi qui vel vbi

disponantur Episcopi concedimus, cui vicem nostrā apud vos Ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.

\* Aliud Be-  
nedicti VII,  
diploma se-  
quitur paulo  
infra.

M O G V N T I N E N S I S P R Æ S V -  
lis ad Sum: Pont: Litera.

**D** O M N O sanctæ & Apostolicæ & vniuersalis Romanæ  
Ecclesiæ Papæ H A T H O indignus Præsul Mogun-  
tiensis Ecclesiæ, cum vniuersis Suffraganeis nostræ exigui-  
tati adiunctis, debitum orationis obsequium, & fidelem  
seruitutem. Nouerit igitur sublimitas sanctitatis vestræ,  
quod nulla fratrum vnanimitas sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
potestati subiecta fidelior atq; deuotior ac subiectior ap-  
paret, quam nos qui vestræ Dominationi & capiti omnium  
Ecclesiarum omni mentis intentione subiicimur, pluri-  
mum gaudetes in Domino, & in dono gratiæ ipsius, quod  
per vestram Sanctitatem & sapientiā magnificè & amplif-  
simè sedes eiusdem Ecclesiæ dilatatur in religione diuina,  
& in hoc instantissimè precibus incumbimus, deprecantes  
diuinam clementiam, vt ad altiora semper cōscendere

obit Arnul-  
phus anno  
Christi 899.  
quo sedebat  
Romæ Ste-  
phanus VII  
pontif. Ad  
hunc ergo  
hæc Epistola  
scripta vide-  
tur. de Hat-  
tone vide Se-  
rariū lib. 4.  
uerum Mo-  
gunt. & est  
Hatto hoc  
nomine pri-  
mus.

vos, & de die in diem meliora sectari atque perficere con-  
cedat. De cætero vestræ clementiæ innotescimus, seniorē  
nostrum ARNOLPHVM Imperatorem de huius vitæ exi-  
lio migrasse. Sed quod quamdiu in hoc mundo subsisti-  
mus per incerta ferimur, nescientes vbi quorūdam animæ  
post hanc lucem mansionem recipiant, vestris quasi pro-  
voluti vestigijs subnixè poscimus, vt animam ipsius vestræ  
authoritatis potestate à vinculis peccatorum absoluatis,  
quia *quæcunque solueritis super terram erunt soluta in celo.*  
Fali vero Domino Rectore & gubernatore amisso in-  
nostris partibus vacillauit nauis Ecclesiæ. Quem Regem  
eligeret paruo tempore inscia mansit, & quia timor ma-  
gnus

gnus aderat, ne solidum regnum in partes se scinderet, diuino, vt credimus, instinctu factum est, vt filius senioris nostri quamuis paruissimus, communi consilio Principum & totius populi consensu in Regem eleuaretur., & quia Reges Francorum semper ex vno genere procedebant, malimus pristinum morem seruare, quam noua institutione insidere. Sed cur hoc sine vestra iussione & permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam, nulla scilicet alia causa actum constat, nisi quia pagani inter nos & vos consistentibus impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram, Romanam sedem, ita vt nec legati à nostra paruitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio & tempus aduenit, quo nostra epistola vestris obtutibus presentaretur, rogamus nostram communem constitutionem, vestrae dominationis benedictione roborari. Insuper etiam pietati vestrae intimamus, quod fratres & Patres, & Coepiscopi nostri Bauuarienses se apud nos conquerentes, & alta suspiria trahentes gemebant, qualiter Marauenses populi Francorum potestati rebelles, iactent se ab illorum consortio esse diuisos, & seorsum Metropolitanano gloriantur à vestra concessione esse sublimatos, cum nunquam Metropolitana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum prouinciæ & diœcesi cohererent. Dolebant se etiam apud nos, quod quorundam machinatione magna infarnia circa vestram celsitudinem essent denotati, scilicet, vt cum pagani fœdus & pacem inirent, & ipsi pagani consilio eorum agerent tam multa nefaria & illicita. De his omnibus consilium à nobis querentibus Bauuariensibus Episcopis iustum respondimus esse fratrum solatio semper adherere: quia propheta inquit: *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum.* Illi vero non in vnum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant.

Nos

Nos illorum tristitia compatiētes, nolimus illis consilium de talibus obiectionibus præbere, priusquam ad vestram interrogationem per Epistolam nostram veniremus. Semper nos scimus carnales spiritales solere persequi, & maliuolos beneuolos infamare & lacerare. Præuidere ergo summopere debent, omnes qui sacerdotes Domini persequuntur tam occultè quam manifestè. Ne ad illos pertineat, quod Propheta dicit: *Cogitauerunt malitias in corde suo, tota die constituebant prælia, exacuerunt linguas suas sicut serpentes, ven: asp: sub lab: eor:* Et paulo post, *Cadent super eos carbones, in igne deijcies eos.* Et iterum: *Vir linguosus non dirigetur in terrâ. Virum iniustum mala capient in interitu.* Et per Ieremiam inquit Dominus: *Omnes in sanguine iudicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Omnes in malum manus suas præparant.* Non debent enim alieni Episcoporum aut accusatores aut iudices fieri. Vnde de Loth est scriptum. *Ingressus es, ut aduena, nunquid ut iudices.* Accusator autem Episcoporum nullus sit seruus, aut libertus, nullaque persona suspecta, aut infamis, repellantur inimici & omnes laici. Isti fratres & Coëpiscopi nostri Bauuarienses veraces DEI cultores & boni pastores peruigili custodia custodiunt gregem sibi commissum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis ouiculam rapiat in prædam suam. Stant pro muro domus Israel, ne aliqua vis inimica firmamentum Ecclesiæ dissoluat. Qui tales inquietat & sua malitia impugnat, licet presentem, futuram tamen non euadet pœnam, quia scriptum est: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Hæc autem omnia perscripta vobis ideo dirigimus, qui testis caput totius sanctæ Ecclesiæ quacunque per orbem diffunditur, & solamen merentium quæcunque tristia vobis contigerunt membris vestris, quia ipsi sanctissimi Pastores Christi superius dicti in nullâ re à Catholica fide deuiantes, sed eandem sanctis operibus & Ecclesiasticis officii

officijs ornantes apud nos conquerentes postulauerunt, vt vestræ notitiæ manifesta faceremus, quia & illi per se ipsos vobis eadem innotescere vita comite promittebant. Vnde poscimus,, vt vestra consolatio illorum mœrorem ad lætitiã reformet, & semper talia membra summo capiti, quod estis vos se gaudeant adhærere. Illi autem Marauensēs, vt nostris auribus illatum est, in occasionem, superbiæ suæ assumunt, quia à nostra concessione dicunt se Metropolitanum suscipere, & singulariter degentes aliorum Episcoporum consortia refutant, si hac confidentia diutius inflantur, vsque ad sanguinis effusionem, vt multi arbitrantur, profilient. In quantum præsumimus admonemus, quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, vt tandem cognoscant, cui dominatui subijci debeant. Nos siquidem debitores esse cognoscimus, si quid à sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ scilicet contigerit elabi vos inde certificari, vt vestra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod si vestra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum Principibus colla submittent, & credimus absque effusione sanguinis & mutuâ cæde ex vtraque parte tunc posse bene contingere. Iterum iterumque vestræ dignitatis auribus replicamus, quod tam Episcopi quam laici Bauuarienses in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur, neque vnquam Franci absque illorum auxilio, aut in Ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotijs nominatim vel famâ dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi absque istis.

## LAVRIACENSIS LITERÆ

Præsulis ad Sum. Pont.

vide Hand.  
in Metrop.  
qui dicit hūc  
pontif. esse  
Benedictum  
VII. qui pō-  
tificatum  
inuit anno  
273'

**O**RDIS ac nominis carismate prerogato sanctæ Romanæ sedis vniuersali BENELECTO Pontifici PILGRIMVS sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ humilis seruator. Fidelitatem precum, deuotumque seruitium. Notum fieri dignetur vobis summe sacerdotum Præsul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, & Apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui presentia, & ea facie ad faciem, quæ literis & internuntiorum committo iudicijs. Sanctissime paternitati vestræ coram rationari, nisi quod à Neophita Vngarorum gente huc ire prohibeor, apud quam fœdere pacto sub occasione pacis fiduciam sumpsimus operam exercere prædicationis. Cuius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum prouinciarum Prædicatoribus meæ diœcesis hæctenus aditum clausit, ad quas nihilominus presentis oportunitas tēporis ire me vocauit. Quibus DEVS omnipotens quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui, diu clausam vt discisso velamine duritiæ suæ, depositaque ferina crudelitate, leni iugo Domini colla submittant. A qua ergo præfatâ Vngarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus Euangelij illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis Canonicoque Presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus clericos & vita omniq; conuersatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici, tantum diuina gratia fructum statim ministravit, vt ex eisdem nobilioribus Vngaris vtriusque sexus Catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos circiter quinque millia CHRISTO lucrarentur. Christiani autem

tem quorū maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captiui, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtiue Domino cōsecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in patriam redacti, quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Saluatoris præsumunt soluere. Ipsi enim barbari mira omnipotentis DEI operante clementia quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus inuident, quocunque libet proficisci. Sed ita concordēs sunt pagani cum Christianis tantamque ad inuicem habent familiaritatem: vt illic videatur Isaia impleri propheta. *Lupus & agnus pascentur simul. Leo & bos comedent paleas.* Factum est ergo, vt penè cuncta Vngarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam, sed & aliæ Schlauiorum prouintia ad credendum promptæ. Et est ibi messis quidem multa, operarij autem pauci. Inde quoque visum est iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic iubeat aliquos ordinari Episcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios vii. antistites eadem Orientalis Pannonia habuit & Mesia mea sanctæ Lauriacensi, cui ego indignus ministro Ecclesiæ subiectos, quorum etiam quatuor vsque dum Vngari regnum Bauuariorum inuaserunt, sicut præsentī cognitum est ætati in Marauia manserunt. Quod nimium graue ac valdè onerosum est mihi, vt tot mei Pontificij parrochias solus prædicando circumeam, quibus necessitate & adiutorij inopia cogor nunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce Dominorum amatissime huiusmodi Ecclesiasticis mancipatus officijs detineor, & ne fecissem moram sæpè dicte gentis conuersioni, ire & prosterni



ad vestra sanctissima vestigia distuli. Legatos autem meos presentium scilicet portitores ad vestram destinavi serenitatem, quos audire digne tur quæso clementia vestra, & eorum meisque mixtim precibus præbere assensum, quatenus pallium, insulamque pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur Metropolitanis: quod etiam mei prædecessores, à gloriosis huius principalis Cathedralis Primatibus accipere soliti erant. mihi verò hoc ipsum benigno animo per illos dirigere digne tur, pariterque etiam privilegia Apostolicæ authoritatis meæ Ecclesiæ per eosdem missos meos vestris presentata sacris obtutibus more prædecessorum vestrorum roborari supplico & confirmari, vt hac Apostolica sanctione & benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationem canonicè exequi valeam, & vestris in die iudicij rationibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua Ecclesia Domino lucratur. Quondam variæ ac peruersæ hæreticorum sectæ timendæ sunt, quos sæpe contigit deprehendi alios, quibus præsumunt errore suo corrumpere, quos agnitione Orthodoxe veritatis debuerant illustrare, vt hæc tam pestifera de me amputetur suspicio, solemne Symbolum Catholicæ fidei, quam ipse teneo ac doceo, vestro Apostolatui proficendum salubre censeo.

Confiteor & credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, vnum DEVM, naturaliter esse. Vnius substantiæ, vnius naturæ: vnius Maiestatis & virtutis, & Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor, fons ergo & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia filium genuit, nec tamen aliud quam quod ipse est genuit, DEVS DEVM, lux lucem, Filium quoque de substantia Patris sine initio natum ante sæcula, nec tamen factum.

ctum fateor. Igitur non sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est, quia non pater à filio, sed filius à patre generationem accepit, filius ergo DEVS de patre, pater autem DEVS, sed DEVS non de filio: si enim pater fuit semper, habuit filium, cuius pater esset DEVS, & ob hoc filium de patre natum sine initio confiteor. Spiritum enim sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, vnum atque æqualem cum DEO patre & filio credo esse DEVM, vnius substantiæ, vnius quoque naturæ, nec tamen genitum vel creatum, sed à patre, filioque procedentem amborum esse spiritum. Nec enim procedit de patre in filium, nec de filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab vtrisque procedere monstratur, quia caritas, siue sanctitas amborum esse cognoscitur, & ne patris tantum, nec filij tantum sed similiter patris & filij spiritus Dei. In re lativis verò personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, spiritus sanctus ad vtrisque refertur. Quæ cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædico, sed vnam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad alium, sed ad filium, & quod filius est, non ad se, sed ad patrem est, similiter spiritus sanctus non ad se, sed ad patrem & filium relatiuè refertur in eo, quod spiritus patris & filij prædicatur. In hac ergo sancta Trinitate tres personas vnum DEVM confiteor. Ergo non ipsum qui pater est, dico etiam filium vel spiritum sanctum, nec ipsum filium patrem aut spiritum sanctum fateor, vel eum qui est spiritus sanctus patrem vel filium dicere valeo, sed quod pater est, hoc filium esse, hoc esse spiritum sanctum, sine vlla ambiguitate pronuncio. Personas enim distingo, non naturam Deitatis separo. Tres ergo illas vnius atque inseparabilis naturæ personas sicut non confundo, ita separabiles nullatenus prædico.

cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extitisse, vel quippiã operasse aliquando credatur, inseparabiles enim inueniuntur in eo q̄ sunt & in eo q̄ faciūt. Habet enim pater æternitatem sine natiuitate, filius æternitatē cum natiuitate, Spiritus vero sanctus æternitatem processionis à patre & filio sine natiuitate. De his ergo tribus personis sola filij persona hominem verum sine peccato pro liberatione generis humani ex M A R I A virgine nouo ordine nouaque natiuitate sumpsit. Nouo ordine, quia inuisibilis in diuinitate. Inuisibilis monstratur in carne; noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum nesciuit, & facunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. D E I enim filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam enim nostram in vnitatem suæ personæ assumpsit, & idcirco filius D E I & filius hominis vnus est Christus. In eo namque quod filius est D E I, æqualis est patri, & in eo quod filius est hominis, minor est patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortiq; addictus & cruci veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulchro. Hoc ergo exemplo capitis nostri in hac carne, qua nūc sum & moueor: resurrecturum me credo. Idem autem Dominus & Saluator noster peracto resurrectionis suæ triumpho paternam sedem repetijt, à quâ per diuinitatem nunquam recessit. Inde in finem seculorum venturus iudicabit viuos & mortuos, reddetque singulis prout gessit quisque in corpore, siue bonum siue malum. Ecclesiam sane Catholicam pretio sui sanguinis redemptam cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo & confiteor vnum baptisma in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meæ inuiolatam me retinere, & ab ea nunquam deuiare promitto.

Qua-

Qualiter ergo ex prælibatâ fide idiotas erudire debeam, & ipse in suscepta nouitiorum, Ecclesia conuersari rescripto paternitatis vestræ cautus flagito, vt merear edoceri. Memetipsum enim iterum iterumque sanctitatis vestræ fidei precibusq; subnixè commendo. Dignam autem vestræ sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat Ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis votis & orationibus celebrare non desisto. Quidquid etiam humani seruitij, quod vestram deceat magnitudinem, ex me conferri possit, totû & ex toto pro libitu voluntatis vestræ liberaliter expendere, pater dilectissime, satago.

**D**ILECTISSIMIS nobis in Christo filijs **HROBERTO** sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ & **DIOTRICO**, sanctæ Treuerensis Ecclesiæ. Atque **ADALBERTO** sanctæ Magdaburgensis Ecclesiæ. Pariq; modo **GEREONI** sanctæ Colonienfis Ecclesiæ, atque **FRIDARICO** \* sanctæ Iuuu-  
 uensis Ecclesiæ. Sed & **ADALDAGO** sanctæ Premensis Ec-  
 clesiæ Archiepiscopis. Pariterque Domino **OTTONI** glo-  
 riosissimo Imperatori Augusto, atq; nepoti suo **HENRI-  
 CO** Præcellentissimo Duci Bauuariorum. Cæterisq; om-  
 nibus Episcopis & Abbatibus, Ducibus atque Comitibus  
 Galliæ atque Germaniæ. **BENEDICTVS** diuina gratia  
 præditus Apostolicæ sedis Pontifex, seruus autem seruo-  
 rum **DEI** in Domino salutem. Oportet iustis supplica-  
 tionum petitionibus nos semper faciles & humiles exhi-  
 bere, & præcipuè cum fraternis religiosorum confacerdo-  
 tum precibus sollicitamur, qui passim ab omni mûdi ter-  
 mino tenorem & regulam, atque proprii officij vigorem  
 ab hac vniuersali sancta Romana matre Ecclesia, eiusque  
 fortiuntur Ministro, Vicario scilicet beati **PETRI** Principis  
 Apostolorû, cuius quamuis indigni, eiusdem tamè gratia  
 & dono potestati successim⁹ & ordini. Cui voce dominica  
 dici-

\* Hic Friede-  
 ricus XII.  
 fuit ab Ar-  
 none Archi-  
 episc. Iuuua-  
 uen vel Salza-  
 burg.

Est Benedi-  
 ctus VII. vti  
 patet ex not.  
 supra ad li-  
 teras Lau-  
 riac. præfati.

dicitur. *Tu es PETRVS, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Quapropter dignum æstimabimus, assensum præbere congruis postulationibus Reuerendissimi Archiepiscopi, quas per probabiles personas nobis intima-uit, responsalium suorum duorum Præsbyterorum, quatenus sibi pallium & Metropolitanum honorem Cathedræ suæ, sanctæ Lauriacensi Ecclesiæ restitueremus confinio vngrorum adiacenti, quod omninò nos eidem Ecclesiæ debere testantur antiquissima secum apportata priuilegiorum testimonia. In quibus enim continebatur quod ætate Pontificatus beati SYMACHI huiusalmæ sedis Apostolici Præsulis præfata sancta Lauriacensis habetur Ecclesia Metropolis & in quantum tam exinde quam etiam de passionibus beatorum Martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis pro fide Christi variis sunt tormentis multati colligere possumus ex omnibus Ecclesiarum Diocesibus Pannoniæ, hæc antiquitate & Archiepiscopij dignitate esse primitiua creditur quæ iam multis retro actis temporibus ex vicinorum frequentia populatione barbarorum deserta & in solitudinem redacta, nullum Christianæ professionis habitatorem meminit: vsq; dum inuictissimus Augustus & pater patriæ genitor quippe Pij Imperatoris nostri, quem adhuc superesse & diu dominari mundus exoptat bellico tropheo eorum vires retundit. Nunc autem quamobrem votis exultantibus in laudem omnipotentis DEI erumpinus, non solum sæpe dicta sancta Lauriacensis Ecclesia hostium cessante terrore cum accolis suis pace & tranquillitate potitur, verum etiam ipsi dudum inimici, illum quem persecuti sunt more gentili, iam iam Christum baptizati profitentur, & sacerdotes modo habere desiderant, ac prout scire rudes poterunt veneratur, & Ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posterius restaurare videntur.

Hac

Hac ergo suadente ratione: Quod prænominati sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopi postulatio, antiqua Apostolica authoritate commendatur & præterea, quod cum iustum esset, pariter etiam vtile visum est, vt ad fructificandas DEO gentes, ex nouitijs cultoribus fidei Vngarorum atque Marauorum siue etiam aliis multis prouincijs Schlauorū suæ parochiæ finitimis illic ordinatis Episcopis secundum q̄, antiquitus dispositi erant, eis hūc constitueremus Archiepiscopū. Quoniā autem Salisburgensis Ecclesia Metropolis abusa est subiectione sanctæ Lauriacens: Ecclesiæ Pontificij oblitterata & attenuata sua dignitate ex deuastatione Barbarorum, quam propterea perceptis Apostolicis priuilegijs nequaquā patimur priuari, cum & priora sint Salzburgēsis, & ideo auctoritativa, vel auctorabiliora. Quæ cōditio testimonij etiā apud secularia iudicia viget & præualet. Nos verò in huiusmodi constitutionibus omnem calumniam atque contentionis occasionem Domino adiuuante facilè propulsamus, ambabus parochijs ab inuicem certis limitibus sequestratis, & tamen Apostolicis sanctionibus vbiq; stabilitis, quas nostrum est semper defendere, & secundū Euangelicam sententiam nihil ex eis soluere sed adimplere. Vnde ergo auctoritate & potestate B. PETRI Principis Apostolorum atque exemplo beatorum Pontificum scilicet prædecessorum nostrorū eandem sanctam Lauriacensem Ecclesiā, eiusq; rectores iam Archiepiscopos ammodo, perpetim ab omni Salzburgensis Ecclesiæ eiusq; Præsulum subiectione ac ditione absoluimus, & honore Metropolitanano sublimamus, & sicut modernis tēporibus sanctæ memoriæ AGAPITVS Papa terminos earundem parochiarū ab inuicem distinxit, sic & ipsi diffinimus, ita quoq; vt sancta Salzburgensis Ecclesia superioris Pannoniæ Episcopos habeat suffraganeos, quibus vsque huc sui Pontifices

E

præesse

præesse videbantur, cum tanta taliq̄ue diocesi, quali hæctenus in inferiori vsi sunt Pannonia.

Sancta autem Lauriacensis Ecclesia in inferioris Pannoniæ atque Mesiaë regiones, quarum prouinciæ sunt Bauuaria atque Marauia, in quibus septem Episcoporum parrochiæ antiquis temporibus continebantur, suiq̄ue antistites Archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta taliq̄ue diocesi, quali hæctenus in superiori vsi sunt Pannonia. Quibus vtique insuperni præceptis iniungimus, vt iuxta beati, GREGORII propter decretũ Anglorum Archiepiscopis directũ alter illorum qui prior sit in ordinatione tempore & quo ad viuat prioratum teneat & in ordine. Penitus enim determinatis vtriusque Ecclesiæ diocesibus, omniq̄ue exclusa altercandi occasione canonicã sub districtione interdiciamus, vt neuter earumdem Ecclesiarum Archiepiscopus inuadere, alterius parrochiam præsumat, vel quibuscunq; iurgijs, aut disceptationibus super diffinitis à nobis modo rebus alter alterum sollicitare audeat. His igitur sedatis venerabilem confratrem nostrum PILGRIMVM Archiepiscopum canonicis literis munitum sedi sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ intronizauimus, palliumq; ei secundum antiquum eiusdem Ecclesiæ suæ vsus direximus, atque in prouincijs Bauuariæ & Marauiaë, regionum quoque inferioris Pannoniæ siue Mesiaë, & in cõtinguis sibi Schlauorum nationibus circumquaue manentium, nostram Apostolicam authoritatem & vicem exercere committimus atq; delegamus, quatenus illic more antecessorum suorum sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum habeat potestatem Presbyteros & Episcopos ordinare, atq; constituere, & ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parare Domino plebem perfectam.

LITE-

*LITERÆ IUVAVENSIS EC-  
clesiæ Archiepiscopi, & aliarum Ecclesia-  
rum Episcoporum ad Sum:  
Pont.*

**S**VMMO Pontifici & vniuersali Papæ, non vnius vrbs;  
sed totius orbis, Domino IOANNI Romanæ sedis gu-  
bernatori magnifico, humilimi paternitatis vestræ filij.  
THEOTMARVS Iuuauenſis Ecclesiæ Archiepiscopus.  
WALDO Frisingensis, ERCHENPALDVS Eystatensis.  
ZACHARIAS Sæbonensis, TVTTO Ratisponensis. RI-  
CHARIVS Patauensis Ecclesiæ Episcopus. Nec non &  
vniuersus clerus, populusque Christianus per totam No-  
ricam quæ & Bauuaria conuersatur. Prosperum in Salua-  
tore nostro profectum, Catholicæ pacis augmentum &  
regnum optamus æternum. Antecessorum vestrorum  
decretis & Catholicorum patreū institutis plenissimè in-  
struimur in omnibus nostro ministerio sacerdotali ob-  
stantibus & aduersantibus Romanum appellare Pontifi-  
cem, vt quod ad vnitatem concordiæ, & ad custodiam  
pertinet disciplinæ, nulla dissentione violetur, sed ab ipso  
summa prouisione decernatur. Nequaquam enim credi-  
mus, quod coacti quotidie audimus, vt de illa sancta & A-  
postolica sede: quæ nobis sacerdotalis mater est dignita-  
tis & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam,  
peruersitatis, sed doctrina & auctoritas Ecclesiasticæ ra-  
tionis. Sed venerunt vt ipsi promulgauerunt de latere  
vestro tres Episcopi videlicet IOANNES Archiepiscopus.  
BENEDICTVS & DANIEL Episcopi in terram Schlauo-  
rum qui Maraci dicuntur, quæ regibus nostris & populo  
nostro nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fue-  
rat, tam in cultu Christianæ religionis quam in tributo



substantiæ secularis, quia exinde primum imbuti, & ex Paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Patauensis Episcopus ciuitatis in cuius diocesi sunt illius tempore populi ab exordio Christianitatis eorum quando voluit & debuit illuc nullo obstante intrauit, & synodalem cum suis & etiam ibi inuentis conuentum frequentauit, & omnia quæ agenda sunt potenter egit, & nullus ei in faciem restitit, etiam & nostri comites illi terræ confines placita secularia illic continuauerunt, & quæ corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt, vsq; dum in cessante corda eorum Diabolo Christianitatem abhorere, & omnem iustitiã detrectare, belloq; laceßere & obfistere sæuissimè cœperūt, adeo, vt via Episcopo & prædicatoribus illo non esset, sed libitu suo egerunt quæ voluerunt. Nunc verò quod nobis graue videtur, & incredibile in augmentum iniuriæ iactitant se magnitudine pecuniæ idegisse, qualia de illa Apostolica sede nunquam audiimus exisse, neque Canonum decreta sanxisse, vt tantum schisma vna pateretur Ecclesia. Est enim vnus Episcopatus in quinque diuisus. Intranses enim prædicti Episcopi in nomine vestro, vt ipsi dixerunt, ordinauerunt in vno eodemque Episcopatu vnum Archiepiscopum, si tamen in alterius Episcopatu Archiepiscopium esse potest, & tres suffraganeos eius Episcopos absque scientia Archiepiscopi, & consensu Episcopi, in cuius fuerunt diocesi. Cum in Concilio Africano cap. xx. decretum sit, vt plebes qui in dioecesibus ab Episcopis retinentur, quæ nunquam Episcopos habuerunt, non nisi cum voluntate eius Episcopi à quo tenentur proprios accipiant Rectores, vel Episcopos. Et item in eodem Concilio cap. lxxv. vt plebes quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario vnus cuius prouinciæ & primatus atq; consensu eius, ad cuius diocesin eadem plebs pertine-

tine-

tnebat, Episcopos minimè accipiant. In decretis Papæ  
 LEONIS cap. xv. scriptum est. Nulla ratio finit, vt inter E-  
 piscopos habeantur, qui à prouincialibus Episcopis cum  
 Metropolitanis iudicio non consecrantur. Item cap. xlix.  
 si in dignis quibusq; & longè extra sacerdotale meritum  
 constitutis pastorale fastigiū & gubernatio Ecclesię detur,  
 non est hoc cōsulere populis, sed nocere, nec præstare re-  
 gimen, sed augere discrimen. Et in eodem cap. post pauca.  
 Difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt in-  
 choata principio, Et in decreto Papæ CÆLESTIN. Ante-  
 cessoris vestri, cap. xvii. continetur, ne alicui locus conce-  
 datur sacerdoti in alterius iniuriam. Antecessor vester  
 ZVENTIBALDO Duce impetrante, WICHINGVM conse-  
 crauit Episcopum, & nequaquã in illum antiquum Pata-  
 uientem Episcopatum eum trãsmisit, sed in quadam Neo-  
 phitam gentem, quam ipse Dux domuit bello, & ex paga-  
 nis Christianos esse patrauit. Cum autem eisdem Schla-  
 uis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accu-  
 sabant nos & diffamabant nos in multis & verbis men-  
 dacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicen-  
 tes, nos & cum Francis & Alemannis scandalum & discor-  
 diam habuisse, cum hoc falsum esse ex hoc conuincitur,  
 quia amicissimi nostri sunt, & caritatiue cooperatores, &  
 etiam cum ipsis impacatos esse accusabant.

Quod non nostra culpâ exigente, sed sua proteruitiã fa-  
 ciente ita fatemur esse, quia quando Christianitas illis cœ-  
 pit vilescere, & insuper debitum tributum senioribus no-  
 stris regibus, & principibus eorum soluere respuerūt, bel-  
 loq; resistere, & gentem nostram cœperunt lacescere, or-  
 ta est seditio inter illos, & quoniam armis sibi eos defende-  
 rūt, & in seruitium redigerunt. Idcirco iure proprio tribu-  
 tarios habere debuerunt & debēt, & siue velint siue nolint  
 regno nostro subacti erūt. Quapropter oportet vos ab alto  
 speculari, & moderaminis temperiem præ omnib⁹ tenere

ne peior pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri LVDVVICI videlicet Imperatoris, & Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moimarij verò Schlaui à paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali Romanam rempublicam sublimauerunt. Isti damnauerunt, illi Christianum regnum confortauerunt, isti infirmauerunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt. Isti latibulis, & vrbibus, occultati fuerunt. Illorum consilio Apostolica sedes pollebat. Istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his Iuenculus Rex noster, nulli prædecessorum suorum inferior, secundum virtutem à DEO sibi datam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis summo Pontifici, cum omnibus regni sui Principibus adiutor, optat esse fortissimus. Omne namque regnum diuinitus sibi commissum ad DEI seruitium, suumque adiutorium vnum vult & operatur. Vnde & pace viget & concordia, gratulatur, atque ad vestram paternitatem sicut patres sui se pertinere lætatur. Quod nos præfati Schlaui criminabantur cum Vngaris fidem Catholicam violasse, & per Canem seu Lapum aliasque nefandissimas & Ethnicas res sacramenta & pacem egisse, atque vt in Italiam transfirét, pecuniam dedisse, si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur ante DEVM, qui cuncta nouit antequam fiant, & coram vobis, qui vicem eius Apostolicam tenetis, eorū falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris longe à nobis positos semper imminebant, & persecutione nimiâ affligebant, donauimus illis nullius pretiosæ pecuniam substatiæ, sed tantum nostra linea vestiméta quatenus aliquatenus eorum feritatem moliremus, & ab eorum persecutione quiesceremus. Talia namque vt præscripsimus iuxta malitiam cordis sui argumentantes, & Pontifices vestros ad iniuriã nostram

nostram

nostram incitantes, adeo, vt directa nobis epistola, quasi ab Apostolica sede hæc omnia improperebant, & diuersas iniurias ingerebant, atq; inter alia diuino gladio feriēdos dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod quidam sapiens ait: *Iustus tulit crimen iniqui.* Ipsi enim crimen quod nobis falso semel factum imposuerunt multis annis peregerunt. Ipsi Vngarorum nō modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudo-christianorum penitus detonderunt, & super nos Christianos immiserunt, atque ipsi superuenerunt, & alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros verò exilio deputauerunt, & nobiles viros ac honestas mulieres in seruitium redegerunt, Ecclesias DEI incenderunt, & omnia ædificia deleuerunt, ita vt in tota Pannonia nostra maxima prouincia, tantum vna non appareat Ecclesia, prout Episcopi à vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, & totam terram desolatam viderunt. Quando verò Vngaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Schlauiis teste DEO multum desiderauimus, promittentes eis, propter DEVM omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala cōtra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res sancti PETRI defendere, populumque Christianum diuino adiutorio redimere liceret: Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus, & post tanta maleficia haberent beneficia, & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum pefecutores. Si quis in toto mundo aliorum nos oberrasse & iustitiæ restitisse probare conetur, veniat præsens, & eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque  
admo-

monendo precamur, ne vllomodo alicui falsò de nobis a-  
 liquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam o-  
 portunitas exigat, vt huius rei gratia missus de vestra celsi-  
 tudine nobis aut à nostra paruitate directus appareat vo-  
 bis. Communis gemitus & generalis dolor angustat, quos  
 Germania & tota tenet Norica, quod vnitas Ecclesie diui-  
 ditur scissura. Est enim, vt præmissimus, vnus Episcopatus  
 in quinque diuisus. Ideo si quid fraus maligni Schlauorum  
 calliditate adduxerat, iustitia vertat. Vosq; virtute ex alto  
 induti, & Apostolica potestate armati iuxta Prophetam:  
*Quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abie-*  
*ctum reducite*, vt deinceps populus & fidei integritate  
 gratuletur, & sancta Ecclesia tràquillâ deuotione lætetur.

THEOTMARVS indignus Archiepiscopus & Aposto-  
 licarum rerum procurator promptissimus. Pecuniam,  
 vestro iuri debitam propter infestam Paganorum sæuitiã  
 nec per me poteram nec per alios transmittere, sed quia  
 DEI gratia liberata est Italia, quando citius potero vobis  
 trãsmittam. Precatur nostra humilitas, vt dignetur vestra  
 sublimitas respondere per singula transmissa cum Epi-  
 stola.

*Alme pater mundi dignus pro nomine PETRI,  
 Nomine quem sequeris vtinam virtute sequaris.  
 Sisq; tuis famulis protector verus, & impos;  
 Commendes Domino, cælo qui presidet alto.*

---

NOTVM sit omnibus CHRISTI fidelibus præsen-  
 tibus scilicet & futuris. Qualiter tempore PILGRIMI  
 Episcopi Synodo aggregata semel in Lauriacensi Ecclesia  
 Oratorio S. LAURENTII martyris CHRISTI. Secundo  
 autem

autē in Basilica sancti AGAPITI martyris Mutarn Orientalis Diocesanos suos præstito iuramentum sacramento, quid suæ sanctæ Ecclesiæ iuris in decimatione cōtingeret interiacentes prouinciæ inter Anesum fluuium & Comagenū montem Synodice percontās, concordi responsione in vnam hanc coniuere sentētiam, penitus videlicet ac continuatim omnem decimationem infra præscriptos limites Anesi fluuii scilicet & Comageni montis, ante proximam barbaricam suæ desolationis deuastationem in ditione & potestate prædictæ sanctæ Patauiensis Ecclesiæ, sibiq; præsentium Episcoporum & fuisse & adhuc iure esse debere, hac tantum excepta decimatione, quam ab alijs Ecclesiasticis possessionibus ex Dominicâ pertinetia ad partem vsus vbique censuit dari, & eam tantum, quam ex antiqua Regum munificentia constat esse traditam. Hæc sunt nomina sacramentalium. *Megnihardt Comes. PABO Comes, Pupo, Wernerus, Engeldich, Eigil. Vtich, Mimilo Wasigim, Gerolt, Adelfrit, Gerhoch, Hertine, Hacco, Ediram, Ernist, Azili, Allo, Mazil, Gozil, Wolfker, Gumpo, Erispert, Ellip, Dietrich, Ozi, Salaman, Zakko, Dieze, Gezo, Sinzo, Pezo, Gotti, Leuzman, Walto, Ello, Wizil, Henro, Raro, Vdalger, Reginger, Altman.*

Præterea notum sit cunctis, qualiter ad MISTILPACH habito Ecclesiastico placito præfatus Episcopus PILGRIMVS populo sacramento obligato, ex quibus locis decimatio ad baptismales Ecclesias iure pertinere deberet interrogans, sub iuramentum promulgatum est. In primis ad Sirnich, hæc ex his locis respicere decimationem. Garstina, Sabanich, Strepurch, Rutte, Suamar, Rayuefesvvanck Tunzendorff. Dehinc ad Schonhering, decimam de Wilhering ad Nardin autem decimam de Agest, & de Buechnauve & decimam Ecclesiæ Wizmanni ad

F

Baptif

Baptismalem Ecclesiam Chrengelbach pertinere debere. Insuper verò Piritaschiricha cum vna dotali huba, nec non & prædium ad Neuuarn ad iam dictam Patauiensem cathedram iure pertinere debere affirmabant. Huius testimonij sacramentalium nomina hæc sunt. *Wernher, Rupo, Eigil, Macil, Hacco, Dietrich, Marquart, Ernist, Gumpo, Wolfger, Izo.*

F I N I S.

---

E R R A T A.

*Ab. Coll. Soci. I. Paderborn. a. 1612*  
 Fol. 1. lin. 7. sanctam. 26. Bauuarianorum. 28. sue. 29. Heroldi. f. 2. 14. vt. f. 4. 19. Nos. f. 6. 2. vnde ergo. 25. sublimiores. ib. iudicamur. f. 8. 28. luuauensis. f. 10. 2. quid. f. 12. 12. coniuncti. f. 14. 27. del. est. f. 22. 29. estis. f. 24. 12. ratiocinari. f. 28. 12. fecunditate. f. 30. 2. estimauimus. f. 33. 16. patrum. f. 35. 15. quandam. f. 36. 31. molliremus. f. 38. 33. LAURENTII.













puerorum cacumen est uix uidentis  
hinc cacumen dicitur quasi capiti a  
cumen. Sonit' est infusio sicut ihu xpi.  
qui graditur in sublimi. idest uita  
sua. Sic sonit' cu' audimur a uero in  
sa. tunc phibitum. idest carnis motu.  
uel malignu' sp'e sperantur. Qui g'  
omnia supradicta potuit facere. bene  
inuenit a profuuo sanguinis potu  
it liberare. de suam archisynagogi. a  
morte resurre. hinc dicitur in hodi

in q' modo p' uer' a. q' d' s'  
peccm mortale significat. u  
ris. & executione operis. De i  
mus. Dixit inquit p'ncips u  
et adorabat eum dicens. Du  
modo defuncta est. s' uenit i  
num tua sup eam & uiuet.  
lucas dicit nomine ianum  
gogu' fauus interpretatur i  
uel illuzano. & signat' queni  
num q' debet illuminari. x

